DISSERTATIO MEDICA

DE

HYDROCEPHALO ACUTO.

AUCTORE JOANNE SQUAIR.

Non scribendi ardor, nec spes aliquid utile aut novum de curatione aut pathologia morbi in tanta obscuritate involuti suggerendi, me hoc officium incipere persuasit: mea adhuc parva in arte medica experientia me ad tale opus perficiendum nunquam inducere potuit; sed tantum ut statuta solennia hujus almae Academiae, summos in medicina honores adepturus, more solito explerem.

Morbus, de quo nunc scripturus sum, infeliciter sub ea classe morborum complectitur, in qua potens et arcana naturae vis saepissime optimos et peritissimos medicos fallit; cujus na-

turam, eorum labores, qui per totam vitam sese ad medicinae culturam applicaverunt, (quanquam sine dubio viri fuerunt celeberrimi et studio etiam indefessi, et ad lucem perduxerunt multos morbos complicatos, qui per secula, in tenebris abditi, opinionibus, et rationibus ineptis eorum, qui primi medicinam colebant; et qui haud paulum contulerunt, ut medicinam ex statu inculto, in quo tam diu permansit, ad perfectionem quam nunc habere videtur, et omni quam possidet pulchritudine ornatam, educerent,) nunquam invenerunt, nec certe dicere potuerunt, quomodo morbus distingui, nec inventus, removeri posset. Affirmem quoque, morbum, de quo statim locuturus sum, in numero eorum esse, qui saepe scientem et vigilem medicum admonent de artis cui animum intendit vitiis, et eum qui post longum studium et perseverantiam, ab ardenti stimulo ductus, ut artis potiretur, saepe dum oculis hominum semotus invite exclamat, Oh! medicina tam, et tam merito per omne seculum, et ab omnibus hominibus in favore habita, quam vitia magna habes!

Hydrocephalus Acutus gravissimum malum est, quod infantili aetati hominum obsidet, maxime huic vitae tempori communis, et afficere imprimis infantes videtur, qui primi maximas sensûs et intellectûs vires ostenderunt; saepe ex beato parente, carum infantem, cui amorem et maximam gaudii futuri spem posuerat, intempestive rapiens:

> "The flower just nipt as it began to blossom in the parent's view."
>
> BLAIR.

Ex omnibus his rebus, et multis aliis, quae inutile esset hìc narrare, Hydrocephalus Acutus mihi maxime dignus videtur meliore investigatione medici, qui vult in sua arte se attollere, et cujus interest aliquid auxilii praebere aegro infelici, cui hoc morbo, tam juste pueritiae tabe dicto, affici unquam acciderit.

CHARACTER ET HISTORIA MORBI.

MIHI est in animo, in hac descriptione de Hydrocephalo Acuto tractare; nonnullis auctori-

bus Apoplexiâ Phreniticâ dicto, multis vero specie Hydrocephali Interni Acutâ, et ab aliis Apoplexiâ Hydrocephalicâ: in hoc numero auctorum est CULLENUS, vir illustris, qui in Nosologia sua, sub Classe Neuroses, Ordineque Comata, disponit, in his verbis:

"Apoplexia hydrocephalica, paulatim adoriens; infantes et impuberes, primum lassitudine, febricula, et dolore capitis, dein pulsu tardiore, pupillae dilatatione, et somnolentia afficiens."

Haec definitio, etsi quaedam in hoc morbo signa notatu digna non complectitur, est tam accurata quam rei natura sinet: mihi tamen videtur, ex diligenti operum perscrutatione multorum, qui hunc morbum descripserunt, auctorum, nullam definitionem medico certam hujus morbi opinionem indicaturam esse; etsi etiam melior esset illâ, quam oportet me in summo honore habere; quoniam in signis quae comitantur, adeo variat, in progressu, et duratione, tam difficilis ab aliis pueritiae affectionibus distinctû: dicam quoque nullum adesse certum signum, quod pathognomonicum vocemus, ut

plerumque in aliis morbis accidit: sed de hoc postea agemus. Uterque solers medicus maximam ponit fidem in definitione nosologica omnium (exempli causa) phlegmasiarum, comatum, &c. et eas semper cum commodo in memoria tenet, quia diversa signa iis in propriis definitionibus imputata, fere semper adsunt; sed quoque probe scit, diversa signa, quae hunc morbum comitantur, quoties pleraque pathognomonica ab nonnullis auctoribus dicta, desunt: exempla quoque tradita fuisse in quibus effusio in cerebri ventriculos indicata, et post mortem, capite aperto, ne quidem minima alicujus fluidi quantitas in iis reperta *.

Hydrocephalus Acutus communis pueritiae, et vix eos qui pubertatem attigerunt, adoritur; plerumque occurrit a mense decimo octavo usque ad decimum annum, et serpit admodum dolose.

Quaedam lassitudo et inertia primum sese ostendunt, et aeger nullo modo moveri aut perturbari potest; omnia quae signa plerumque recedunt, et aegrum saepe tranquillum quere-

* Quin de Apoplexia Hydrocephelica, ad pag. 50.

lâque exemptum relinquunt: quum autem diligenter aegri statum investigamus, inventum erit, dolorem sensisse per aliquot hebdomadas antehac ab abdomine ad dorsum artusque, saepe ad colli nucham tendentem, cibi appetitum pravum, alvum irregularem, vultumque salubrem evanuisse; quae autem signa mater incaute procedere sinit, aut removere suâ viâ cónata, donec graviora mala auxilium alicujus in his rebus periti postulantia pervenerunt; nempe, anorexia, nausea et vomitus sine intermissione, dolor acutus totum caput pervadens, lucis sonique intolerantia, oculi suffusi, cutis calor paululum auctus, pulsus durus et frequens, signaque omnia haec ad vesperem exacerbata.

Capitis dolor maxima ex parte in fronte situs et ad tempora extendens, aliquando in vertice, aut unum capitis latus plus, quam alterum occupans, cum vomitu alternat: utpote minus acutus dum hic existit. Canalis alimentarii status cito et multum afficitur; halitus quendam odorem foetidum possidet, et quoque materia prima ex ventriculo ejecta; haec autem biliosa postea evadit. Hoc quoque tempore, magna sitis, cum

sordibus albis aut fuscis super linguam; hoc autem non semper ita est. Alvus plerumque pertinaciter adstricta; sin aliter acciderit, faeces nigri coloris sunt, foetidae, et quasi ex materia oleosa constantes. Somnus admodum perturbatus; si autem dormiat aeger, subito violenti cum exclamatione expergiscitur, quasi ex somnio horrifico; eodemque tempore, manus ad caput attollit, quasi sedem totius mali indicans. Respiratio aliquando festinata, aliter autem serena et tranquilla.

Haec post paucos dies signa valde exasperata fiunt. Si pulsus morbi initio, (ut aliquando accidit,) non multum mutatur, nunc frequentissimus fit, et ex centum viginti usque ad centum et sexaginta ictus vel amplius in horae minuto variat. Capitis dolor magis magisque acutus, adeo ut aeger caput ejus ex pulvina tollere nequeat: vomitus quoque magis constans, et omne in ventriculum acceptum statim rejicitur, et hic minimo nisu inducitur: nunc temporis cutis calidissimus, facies subito rubet, et altera gena alterâ ruberior. Hoc tempore aliquando sanguis ex naso profluit, quod signa tamen

haud mitigat. Omnia haec signa febriculosa aliquando intermittunt; quum autem aliqua evenit remissio, aeger in statu valde moroso relinquitur cum vultu pallido et cadaveroso.

Dominus QUIN adnotat, (et fere solus est qui hoc factum ostendit,) delirium et violentissimum, praesertim si aeger pubertatem attigerit, nunc occurrere, aut etiam citius accidere, et cum aliis signis usque ad diem decimum quartum augescere. His signis in forma leni et exacerbata per spatium octo aut decem dierum duratis, mira mutatio nunc incipere solet. Loco lucis intolerantiae, de qua aeger tantum antea questus, pupilla dilatata fit, consensu inter oculos, qui simplicem aut visum perfectum constituit, amisso, unde strabismus. Pulsus mutationem insignem subit, ex centum sexaginta ictibus aut amplius in horae minuto usque ad septuaginta duos aut etiam sexaginta cadens *, intermittens, et saepe inaequalis, et in frequentia auctus levissimo motu, ut praeclarus CHEYNE in dissertatione ejus animadvertit †. Cutis ca-

* Burns' Principles of Midwifery; Heberden's Commentaries; de Hydrocephalo.

† Essay on Hydrocephalus Acutus, p. 21.

lor raro ullo modo diminuitur, contra vero, aliquando augetur; vomitus plerumque cessat; capitis dolor minus urgens, adhuc vero aeger ex somno subitò excitatur, et violenter ejulat: saepissime, hoc morbi tempore, somnum interruptum in stuporem lethargicum conversum videmus, adeo ut aeger inhabilis est ut aliud ex alio distinguat. Hâc serie signorum per quatuor aut quinque dies versatâ, pulsus iterum mutationem subit, multo frequentior quam antehac evadens, usque ad centum òctoginta auctus, valde debilis, et tam rapidus ut non enumerari queat: pupilla magis ac magis dilatata, vividissimâ luce admotâ haud contrahens; revera amaurosis perfectissima, secundum celebrem hujus Academiae GREGORIUM, formatur: loco cibi fastidii, tantum olim notati, appetitus augetur, aegro avide devorante quicquid cibi aut medicinae ei detur: alvus tam fortiter astricta, ut aegre ab aliqua medicina solvatur: postea autem compressione, quae omnium sphincterum actionem superat, auctâ, faeces et urina inscienter redditae: respiratio profunda et stertorosa fit, facies pallida et viscido sudore ob-

tecta, qui ab omni per totum corpus poro effunditur; extremitates frigidae; hoc tempore citius fere dimidium corporis paralysi afficitur, dum alterum convellitur; deglutitio difficilis evadit; et nunc violens convulsio finem ponit omnibus quos aeger perpessus est doloribus, postquam morbus ex duodecim ad viginti dies extiterit, in aliquot casibus per tres aut quatuor hebdomadas, rarissime autem per paucos dies solummodo; multum ab aegri aetate et corporis habitu pendens.

Generalibus quae Hydrocephalus Acutus signis induit jam narratis, nosmet valde falleremus, si hunc morbum omnibus his signis et in omni exemplo indicatum videre expectemus, aut variationes bene notatas in statu pulsus, oculi, ventriculi, &c. semper sese ostensuras, ut jam dictum fuit. In memoria semper tenendum est, exempla multa jam tradita, in quibus plurima signa, quae (proximae morbi causae, de qua postea agendum erit, nunquam obliti) vidisse putaremus, non addessent. Dominus Rush dicit, pupillae dilatationem, capitis dolorem, strabismum, nauseam et anorexiam, in aliquot casi-

bus quos testabatur, non adfuisse : contra, HEBERDEN refert, se omnia signa hujus morbi vidisse in puero, cujus cerebrum haud amplius justo serum continebat *. Sunt et alia hujus morbi exempla relata, ubi neque vomitus nec strabismus evenit; tamen fateri aequum est perpauca esse exempla in quibus haec signa jam dicta non videntur. In aliis casibus certiores facti sumus, solitas pulsus variationes, quae in hoc morbo observantur, non unquam sese ostendisse; pupillam non dilatatam fuisse, donec infans supremum diem obiturus, nullum vomitum habuisse, nec multum de capitis dolore, nec lucis intolerantiâ questum esse. Alter magna fama auctor dicit, animi facultates per totum hunc morbum omnino integras manere †. Dominus QUIN exemplum infantis narrat ‡, cum validis et evidentibus Hydrocephali Acuti aut apoplexiae hydrocephalicae, ut huic placet, indiciis morientis; postea autem alter ex eadem

* "Neque tamen perpetuum est, ut haec signa ex hydrope cerebri "nascantur; etenim vidi ea omnia in puero, cujus cerebrum non nisi "consueta humoris copia humectatum erat, teste peritissimo anatomico "qui cadaver inciderat." Loco citato.

† Van Swieten's Commentaries, vol. xii. page 109 and 110.

‡ Quin, pagin. 43.

familia infans vita excessit sine ullis signis quae mortis ejus causam satis clare explicarent, et secto cadavere, magna aquae copia in cerebri ventriculis reperta. In aliquot casibus, sensus auditûs et tactûs valde acuti fuerunt per totum hujus morbi cursum : exempla quoque in scripturis auctorum inventa, ubi infantes optimâ valetudine fruentes convulsionibus subito affecti, quae paucos post dies eos morte rapuerunt.

Tam multum temporis consumpsi in narrandis (ut mihi saltem videtur) variationibus maxime notatione dignis, quas Hydrocephalus Acutus assumit, ut ostendam, quam difficile est hunc morbum detegere, in memoria tenendo ullam ejus definitionem, eam saltem ex signis semper comitantibus confectam.

Ex ordine quo signa sibi ipsis succedunt, praesertim miris variationibus quas pulsus subit diversis hujus morbi temporibus, multi auctores (in numero quorum est Doctor Whytt, qui primus omnium summa cum observantia hunc morbum descripsit) Hydrocephalum Acutum in tria stadia diviserunt; nempe, ubi pulsus frequens durusque est, cum signis cerebri conci-

tati, hoc primum hujus morbi stadium vocarunt: quum pulsus lentus evadat, et intermittat, cum pupilla dilatata, strabismo, &c. secundum vel effusionis inceptae stadium: et ubi pulsus iterum celerrimus fit, cum stupore profundo, tertium aut stadium effusionis perfectae et cerebri compressionis.

Haec morbi divisio descriptionis ergo satis commoda est, et animum tyronis multum adjuvat. Si medicus autem, ni fallor, morbum per hunc jam dictum cursum progredientem videre expectet, se decipiet aeque, ac ipse, qui opinatur omnia supra narrata signa semper in omni casu, qui sub ejus observatione cadat, adesse. Denique quaeram, an talis in stadia divisio, plus in apertum profert hujus morbi curationem? Non expectare possumus, ut in febre intermittente, donec per tria stadia distincta pervaserit, antequam certi sumus utrum morbus sub investigatione adsit, aut eum removere conemur; tunc enim serius esset.

Hic modus Hydrocephali Acuti exponendi, nempe in stadia tria dividendi, denotare videtur, omnia haec stadia revera observari ante-

quam certi simus infantem morbo affici. Tantum addam, multa in medicina practica exempla occursura, in quibus nulla stadia distincta videri possunt; et si hac re opinemur morbum, quo aeger laboret, non Hydrocephalum Acutum esse, cadaveris sectio nobis errorem, in quem tam infeliciter ducti, patebit.

Post quod antea dictum in hujus morbi historia, majoris momenti videtur, ut nosmet familiares multis et magnis quas tam saepe assumit varietatibus, reddamus, et eà signa cognoscere conemur quae hujus morbi initium indicant.

CAUSA PROXIMA

Hujus morbi specifica cerebri inflammatio esse videtur, aut, ut fortasse plerique medici opinantur, sanguinis caput versus morbide auctus impetus, absorbentium torpore postea comitante, aut, ut Quin narrat * (et sua de hac re

* "The disease in question always owes its origin to a morbid accu-"mulation of blood in the vessels of the brain, proceeding to inflam-"mation, and generally (but not always) producing an extravasation of "a watery fluid before death." Vide p. 48.

opinio mihi adhuc optima videtur, et quâ cum omnis medicus huic morbo familiaris libenter assentietur; cujus verba subjunguntur, quamvis huic Dominus CHEYNE ingenue adversaretur).

RATIO SIGNORUM.

OMNIA signa quae in hoc morbo observantur, referre ad duas aut potius ad unam magnam causam liceat,—cerebri vasa nimirum actione aucta. 1mo, Capitis dolor, vertigo, lucis sonique intolerantia, pulsus frequens et durus, cum respiratione festinata, ab hac causa plane pendent: vomitus pari fere ratione magno inter cerebrum et ventriculum consensui referri debet. 2do, Coma, pupillae dilatatio et strabismus compressionis effectus sunt, a fluido in cerebri ventriculos aquoso aut alibi effuso; quae huic vasorum actioni auctae tribuenda. 3tio, Stupor, amaurosis, convulsiones, et paralysis, cum omnium sphincterum resolutione, fluidi effusi

pressurae referenda usque ad nervorum origines, quae ex tubere annulari et medullae spinalis summa derivantur, extendenti.

Ex signis quae superveniunt satis constat, vasorum actionem auctam, aut ipso facto inflammationem cerebri instantem, (si mihi liceat hoc sermone uti;) ut ait Doctor Rush, cerebri inflammatio, sed in gradu minore quam in phrenitide in adulto. Scripta quoque hominum in arte medica maxime scientium, hoc factum confirmant, e. g. Quin, Rush, Beddoes, Whytt, Withering, et Darwin, et tantum opinionis Cheyne, (qui de hoc morbo satis accuratam descriptionem dedit,) quantum intelligere possum. Nemo dubitat quin amaurosis, aut tantum pupilla dilatata, strabismus, coma, convulsiones et paralysis, ex fluidi effusi pressura oriantur. Nonne signa sunt apoplexiae, et cerebri compressionis, ex alicujus cranii partis depressione, ortae? nonne etiam pressura arte facta in cujuscunque animalium inferiorum cerebrum (cranii parte semota,) quâ omnia signa, quae finem hydrocephali acuti notant, inducuntur, hoc factum plane demonstrant?

Classis signorum, quae maxima ex parte huic morbo precedunt, aut quae nunc apud auctores recentes existimantur juste morbi initium constituere, (quanquam parum auctorum paucorum notata scriptis, quia rarissime videntur adesse, et propter hanc rationem sat manifestam, aegri amici nullam iis attentionem dabant, nec medici auxilium quaerebant, donec morbus magis auctus, fortasse non donec strabismus, coma, &c. observata, et tunc temporis medici opinio de morbo tam ingrata quam eventus infelix,) nimirum abdominis dolor, praesertim in hepatis regione, alvus irregularis, nasi pruritus, dum infans omnino insaluber videtur: ex aliqua hepatis affectione manifeste pendere videntur, quâ ejus munera perturbantur; bilis secretio imperfecta est, et minime ad intestina idonea stimulandum aut chylum assimilandum; quapropter signa dyspeptica facile explicantur. Longius etiam prodeamus, et alvum adstrictam, quae, quum morbus plene formatur, saepe occurrit, imputemus, non tantum generis nervosi torpori, quam bilis secretioni

vitiatae, non suppressae; aliquando enim augetur, sed minime apta ad sanas functiones perficiendas. In Hydrocephalo Acuto, ex intestinis dejecta constare, ex bile in hoc statu cum muco canalis intestinorum permixtâ, videntur *.

DIAGNOSIS.

Manifestum esse debet levissime hunc morbum observanti, sed multo magis medico studioso maximi momenti esse, hunc ex aliis pueritiae morbis distinguere, quibus cum confundi potest; et quo citius fieri potest, eo multo melius est; aliter morbum ad extremum, quum omnes conatus ad removendum nihil valebunt, procedere sinamus: in memoria semper tenendum, in hujus morbi initio solummodo prodesse queamus; fateri enim justum est, parvam admodum spem aegrum restituendi teneri posse,

* Cheyne de Hydrocephalo Acuto, a pagin. 44 ad 47.

quum morbus usque ad fluidi effusionem in cerebri ventriculos progressus.

Morbi ex quibus Hydrocephalus Acutus distingui debet, sunt, *Febris Infantilis Remittens, Dentitio, Vermes in intestinis, Convulsiones ex visceribus turbatis.*

1mo, Ex *Febre Infantile Remittente* Hydrocephalus Acutus facile detegi potest; in illo enim (febre infantile remittente) plana remissio est, mane versus, aegro pejus se habente per noctem: nulla autem talis signorum remissio in hoc percipi potest; faeces nigrae sunt foetidaeque, et alvus pertinaciter adstricta in Hydrocephalo Acuto; magna quoque lucis intolerantia, capitis dolor, cum vomitu alternans, haud ullo aegri motu aut arteriarum pulsu exasperata, clarissime morbum urgentem Hydrocephalum Acutum esse indicant.

2do, *Dentitio* aliquando signorum seriem huic morbo simillimam inducit; nempe, appetitum pravum, alvum valde irregularem, saepe vero alvus in dentitione soluta, et faeces foetidae et nigrae, ut in Hydrocephalo Acuto; pulsus aliquando frequens, minime vero tam durus quam

in hoc: vomitus interdum supervenit, somnusque magnopere fractus exclamationibus subitis; plerumque vero aegri aetatem attente considerando, et diligenter inspiciendo, et quaerendo, si aliqui ex eadem familia ex hoc morbo mortui sint, in plerisque exemplis scire possumus num infans Hydrocephalo Acuto revera afficitur; praesertim si haec signa haud evanescunt gingivis scarificatione incisis, aut emetico dato, aut nonnullis calomelanos dosis caute adhibitis.

3tio, *Vermes* maxime, ex omnibus qui pueritiam afficiunt morbis, aegerrime a Hydrocephalo Acuto distinguuntur; sed si regulis sequentibus attendamus, diagnosis certe formari potest. In Vermibus, infans nunquam de oculorum ex luce dolore queritur, ut in hoc morbo; pulsus haud multum afficitur, nunquam saltem tam durus et frequens quam in Hydrocephalo Acuto. In Vermibus *vomitus* ullo tempore appareat; in hoc morbo autem nunquam nisi morbi initio occurrit. Pari ratione *convulsiones* nunquam nisi sub Hydrocephali Acuti finem, et unius lateris solummodo cum paralysi al-

terius; itaque pupillae dilatatio; haec vero ullo tempore in Vermibus accidit. In illo quoque faeces nigrae, foetidae et oleosae; in hoc autem albae et mucosae: in altero alvi adstrictio magnopere conspicua; sed in altero alvus saepissime soluta est.

4to, *Convulsiones* in infantibus saepissime ex alvo turbata oriuntur, faecibus diu retentis, lacte in statu vitiato hausto, non autem ex aliqua cerebri affectione organica; et differunt quoque ex convulsionibus, quae hunc morbum comitantur. Utrisque corporis lateribus in Convulsionibus aeque convulsis, dum in Hydrocephalo Acuto, alterum corporis latus paralysi, alterumque convulsionibus afficitur. In convulsionibus oculi pallidi et foedi, et nulla sanguinem vasa vehentia in eo videntur, et pupilla dilatata: in illo morbo oculi suffusi, caput vehementer retractum, et tota facies rubescit in hoc; et spasmi intervallo non existit iste stupor, tam in illo morbo evidens.

In omnibus exemplis, ubi opinione non certi sumus, de morbi natura, tractare debemus eodem modo ac si Hydrocephalus Acutus esset, praesertim cum capitis dolor, pulsus durus et

frequens, alvus adstricta, &c. existunt; hoc enim modo, majorem spem habemus bene quam male faciendi, melius enim est cito progressum cujusvis affectionis ullo modo huic morbo similis impedire, quam sinere, ut hos fines quos ars nostra huic praescripsit, transeat; antequam omnino certi sumus num Hydrocephalus Acutus sit, an non.

Hujus morbi diagnosis, initio saltem, fateri debemus, admodum difficilis est, ob multos quibus confundi potest morbos: hac de re CHEYNE illustris concinne animadvertit, cujus verba subjungam *.

CAUSAE

HYDROCEPHALI ACUTI, tam praedisponentes quam excitantes, valde dubiae sunt, et magnae

* "Whatever difficulties there may be in the early, there is no disease "more easily distinguished in the more advanced stages. Indeed, how can "we mistake, when we see a child rolling his head upon the pillow, or per-"haps sawing the air with one hand, while the opposite side is palsied; with "a hectic on the cheek, his eyelids half concealing the pupil, and the eye "deprived of its vivacity by the filmy covering of the cornea; the complete "dilatation of one or both pupils, and the suffusion of the adnata; drawing

varietati proclives: et ut non aliquid in apricum de natura morbi videntur proferre, non multum temporis consumam in eas narrando. Infantes ex parentibus scrofulosis nati, aut qui morbis strumosis opportuni videntur, utpote albam et lucidam cutem, venas magnas, capillos albidos, et oculos caeruleos habentes, saepissime hoc morbo laborare dicuntur. Quisque autem scit, infantes constitutione contraria huic omnino saepe hoc morbo perire.

Doctor QUIN (qui multis hunc morbum observandi occasionibus fruebatur) refert, infantes ingenui valde hilaris et intellectûs acuti saepissime hoc morbo affici: debilitas aliis pueritiae morbis inducta, nempe, rubeolâ, dentitione, &c. huic morbo praedisponere videtur: labes haereditaria quoque dicitur.

Quod, causas vero, quae hunc morbum producunt, attinet, nihil amplius addam utpote parum cognitae et vix medicorum, qui optimas hunc morbum videndi occasiones habebant,

"a long sigh; frequently grinding his teeth; quite incoherent, or in a state "of complete insensibility; with a burning fever on his skin, or a sweat forced from every pore: and all these symptoms alternating with, and at last "finished by apoplectic breathing and violent convulsions."

CHEYNE, vid. page 22 and 23.

scriptis traditae; revera, in accessu adeo incertus, ut saepe longe processit antequam a nutrice aut infantis parentibus observatur, et hi ne vix quidem rationem causae quae producit satis manifestam redderent.

PROGNOSIS.

Si nobis saepius hunc morbum observare liceret ipso initio, opinio nostra de ejus eventu non semper tam ingrata, quam antehac esset; in morbi enim statu, quo signa quae urgent, sanguinis impetum caput versus directum indicant, aut secundum plures auctores primo morbi stadio, dicere audeamus prognosin felicem fore: quin autem infeliciter, signa quae sub fine actionis concitatae supervenerunt, tum spes omnis aegrum restituendi evanescit, saltem prognosis valde dubia et ingrata erit. Quum Hydrocephalus Acutus ortus, aut aliis morbis inductus fuit, recuperandi spes admodum parva foret.

CADAVERIS SECTIO.

Quae saepissime aut potius semper sese ostendunt in corporibus infantum post mortem sectis, qui ex hoc morbo perierunt, sunt qualia expectasse queamus, ex signis quae ejus progressum comitata. Vasa turgida, quae sanguinem suum tum super piae matris externas cum internas partes distribuunt, saepe signa inflammationis praecedentis manifesta adsunt, ab effusione lymphae coagulatae indicata inter diversas cerebri membranas, nempe, inter piam matrem et tunicam arachnoidem, aut inter hanc et duram matrem, aut quaedam in tunica arachnoide opacitas. Fluidum in cerebri ventriculos effusum, ex una ad sex aut octo uncias variat: idem quoque fluidum in cerebri basi repertum. Hoc fluidum effusum, aut serum nonnullis auctoribus dictum, a sero sanguinis differt, utpote minus albuminis continens, et gustu minus salinum. Cerebri materies multo quam

in statu naturali mollior; et ubi formare ventriculos confert, multum in structura mutatur, et pars ejus maxima sublata. Doctor CHEYNE quoque signa evidentia abdominis morbosi vidit, nempe, intestina inflammatione affecta, et a spasmo constricta. Hepar quoque signa inflammationis exhibet; lympha coagulata in externas ejus partes effusa, et adhaesionibus cum abdominis parietibus aliisque visceribus formatis. Glandulae etiam mesentericae induratae, auctaeque reperiuntur.

MODUS TRACTANDI.

Ex signis diversis quae Hydrocephalus Acutus induit, stadiisque diversis quibus processit, antequam medici auxilium necessarium habetur, ratio medendi, quam consequi debemus, non eadem esse potest. Dum abdominis viscera turbata manent, quae signa, hunc morbum plane formatum, ut medicus expertus scit indicare, praesertim si ulli ex eadem familia infantes

huic morbo jam succubuerunt, classis remediorum certa adhibetur, in qua non eandem fidem poneret, ubi signa cerebri affectionis organicae inceptae manifesta erant; et cum signa compressionem indicantia in cerebrum et nervorum origines apparuerunt antequam infantem viderimus, tum omnis ars nostra nihil ad curationem conducet. Ut viscera chylopoetica hujus morbi initio plurimum turbata, quicquid ad hunc statum corrigendum aut removendum confert, primum sub deliberatione cadit. In omni alvi perturbatione, quae, ut creditur, pendet ex, aut conjungi videtur cum cerebri actione morbosa, tum auxilium petere debemus ex purgantibus, eorum doses moderantes, pro aegri aetate et corporis habitu. Profecto mirum est, doses purgantium, quae ad alvum laxandam postulantur, in hoc etiam primo morbi stadio, quantitate duplices, quae in aliis casibus sat esset. Medicamenta quoque naturâ potentissima esse debent. Quas inter principem locum tenent, submurias hydrargyri, aloë, jalapa, rheum palmatum, aut simpliciter vel in conjunctione. Submurias hydrargyri cum jalapa conjunctum optime respondet; et con-

tinuari debet, non solum ut anxietatem ex alvo constipata orientem removeret, sed ut stimularet, et in novam actionem excitaret viscera cum intestinis tam intime nexa, nempe, hepar pancreasque. Ut intestinorum torpor pendere videtur ex statu secretionum quae in ea profluviunt vitiato, et bene notum est purgantia medicamenta prudenter adhibita, et earum doses saepe repetitas, intestina stimulando, mutationem maxime notabilem efficiunt in systemate hepatico, et etiam dicere queamus in cerebro ipso, saltem reactionem in hoc organum impediunt, propter magnum inter cerebrum et viscera abdominis consensum. Utcunque ceciderit, removere conferunt signa dyspectica, quae plus minusve aegrum per totum hunc morbum vexant; et imprimis utilia in convulsiones quae generaliter sub hujus morbi finem superveniunt temperando; et cum incitationis signa in cerebrum existunt, moderari et sedare tendunt, stimulo eorum intestinorum actionem augente, ideoque eodem modo ac quaeque alia irritatio contraria agente.

Nullum periculum est debilitatem inducendi aegrum purgando; nam tempore quo purgan-

tia apprime exiguntur, intestinorum actio talis est, ut parum nutrimenti in sanguinem deferatur; et haec, hunc statum vitiatum removentia, eodem tempore in naturali et salubri viscerum chylopoeticorum actione recuperandâ, juvant. Remedia purgantia in hoc morbo, et hoc tempore, in magnis dosibus exhiberi debent, ter quaterve indies repetitis, et continuari debent donec alvus naturalis fiat; et submurias hydrargyri, utpote magnum stimulum possidens, preferri debet.

Curandi modus, cum concitationis cerebri signa supervenerunt, nempe, capitis dolor, vertigo, lucis intolerantia et febricitas, varianda est. Haud amplius confidi debemus Purgantibus tam, quam Regimini Antiphlogistico, omni vocabuli sensu, nempe, sanguinis detractioni ex loco dolente per hirudines, cucurbitulas cruentas, aut arteria temporali secta aut venae jugularis incicisione repetitâ, donec signa cedere videntur; sanguinis missioni generali, secundum vires atque corporis infantis habitum: in plerisque autem hoc morbo laborantibus, adhiberi non potest, hoc morbi tempore, quia plerumque in-

fantes afficit, itaque sanguinis missione generali libere uti non possumus, utcunque signa actionis auctae requirant, sine debilitatem augendo, quae a morbo ipso inducitur. Hac de causa, sanguis ex temporibus aut colli nucha detrahendus, quoniam a generali sanguinis detractione abstinendum : praeterea, observatio quotidiana, ex loco affecto sanguinis detractionis efficaciter in apoplexia, phrenitide, &c. adhibitae, nos convincit ; partes cerebro proximas imprimis afficiendo, sanguinis quantitatem in hoc organo minuit. Aegri caput quoque elevari debet, cubiculum frigidulum servare oportet, omneque quod aegri anxietatem augere tendat, removendum.

Vesicatoria proximè consideranda sunt ; et quanquam modus agendi explicatu admodum difficilis est, nemo dubitat quin valde efficacia sunt. Verisimile autem est beneficia ex vesicatoriis orientia hujus morbi initio omnino viribus attribuenda, quas possident in quantitate sanguinis in cerebro minuenda, sero quod secerni faciunt (si mihi hoc verbo uti liceat) ex vasis cranii tegumentorum extremis, et hocce profluvium seu secretionem servando, effectus eorum majo-

res erunt. Hoc quoque morbi tempore applicationes frigidae capiti, et pediluvium, ex bene notis eorum effectibus in sanguinis impetum caput versus in febribus moderando, magni pretii existimata: ut hic autem morbus in progressu tam rapidus est, vix aut ne vix quidem adhiberi solent, majore in remediis supra dictis fiduciâ positâ.

Tam multum locutus de consilio medendi in hujus morbi initio, necesse nunc erit, rationem indicare quam consequi debemus quum signa incitationis transierunt, et effusionem inceptam denotantia, superveniunt. In hoc autem rerum statu, multo minorem spem curationem efficiendi, quam in priore hujus morbi stadio, habemus.

Ab nonnullis auctoribus adnotatur, nullis autem tam clare quam a Domino Quin, cerebri vasa primum oppressa pergravi sanguinis congestione, (aut potius dicamus,) magnopere stimulata, vires suas gradatim amittere, et ob relaxationem eorum, eadem evenit mutatio, quoad fluidorum distributionem, quae ex simili causa hydropem in aliis corporis partibus producit.

Partes sanguinis aquosi nimis assidue in vicinas cavitates effunduntur, et absorbentia non minus vires laesa, quam exhalantia, inepta fiunt serum superfluum removendo. Hoc morbi stadium inceptum cognoscimus, quum pulsus tardior evadat et intermittat, pupilla dilatata, strabismus et stupor supervenerint. Consilium nunc est his remediis uti quae facultatem possident absorbentium actionem augendi, ut ex ratione supra dicta haec sola utilia erunt. Ad hoc propositum *Mercurialia* optimum successum promittere videntur, ex effectibus eorum bene notis in actionem absorbentium vasorum augendo in quibusdam aliis morbis: et ut pleraque exempla, ubi aegri ex hoc Hydrocephali Acuti stadio recuperaverunt, (aut morbo confirmato, ut aliqui dicunt scriptores,) ab hydrargyro effecta sunt. Hâc consideratione autem praetermissâ, hydrargyrus, ut maxime idoneus videtur actionem diminutam vasorum resorbentium augendo, sine dubio tentari debet, et in omni forma adhiberi; praesertim sub forma unguenti infricandi aut submuriatis, sed ne quidem ut intestina afficeret. Exempla haud de-

sunt, ubi hydrargyri effectus magnopere insignes fuissent; ubi etiam aeger non recuperaret, actio morbosa in cerebro suspensa fuisset, convulsiones impeditae, sensus tam interni quam externi restituti, et infantes potius a magnâ debilitate inductâ, quam a morbo ipso periisse, viderentur.

In hoc morbi statu, ut nunc affectio hydropica videtur, medici plerumque solebant medicamentis diureticis uti, et saepissime Digitalem Purpuream omnibus aliis anteponere. Sed dum digitalem adhibeamus, in memoria semper oportet tenere, medicinam esse magna vi, diverse in diversis constitutionibus operari, et semper existimari in effectibus valde incertam, et maximâ cum curâ utendam. Digitalis non eâdem semper uniformi ratione agit, quam in usu aliarum medicinarum observamus; neque effectus quos producit iidem. Adhiberi potest primum in dose octo aut decem guttarum tincturae, et spatio sex aut horarum repetita, dose caute et paulatim auctâ, ut res postulant; et quum cor, cerebrum aut ventriculus affici incipiant, tunc non longius progredi debemus, sed potius conemur hanc dosin continuare; reducenda est autem

si aeger hanc quantitatem tolerare nequeat. Ut tamen hic morbus in progressu tam rapidus est, hujus medicinae effectus quamprimum obtinendi sunt. Digitalis effectus, in quacunque forma utamur, et in omni morbo, sunt, vertigo, nausea, &c.; quibus signis satis certi simus, medicamentum in tam largis dosibus adhiberi. Digitalis pulsum tardiorem reddit, irritabilitatem minuit, et absorptionem accelerat, et ex usu cujus magna beneficia expectare liceat: certe venesectioni repetitae praeveniet, ubi res postulant; sed ubi non tuto praestari posset ob magnam debilitatem quam inducit.

Si vesicatoria applicata non adhuc, nunc apponi debent, consilio novam actionem excitandi, et irritatione eorum, aliquem stimulum vasis lymphaticis torpidis impertiendi.

Postquam omnia haec remedia frustra tentata, (et multa alia narrâssem,) cito certi fiemus parvam admodum spem aegrum ad sanitatem restituendi nunc reliquam esse, quum ex signis urgentibus effusionem in cerebri ventriculos inceptam cognoscimus.

FINIS.